



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. IV. Cooperatorum. Parochis asseritur Jus assumendi Cooperatorem,
quem ipsi voluerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)



CONSILIUM IV.

In Causa liberæ susceptionis Capellanorum Curatorum in adjutorium Parochi.

SUMMARIUM.

1. Facti species.

2. seqq. rationes dubitandi.

9. Quod Parochi Cooperatorem, quem ipsi voluerint, possint sibi adjungere, probatur ex Concilio Tridentino:

10. ex Congregationibus Cardinalium:

11. ex Doctoribus:

12. ex Synodo Provinciali:

13. In casu quæstionis probatur ex Decreto Ordinarium:

14. seqq. & continuo hujus juris exercitio.

19. Cui competit jus destituendi, censetur etiam competere jus instituendi.

20. Capellani Parochorum non habent beneficium, possuntque ad libitum suscipi, & dimitti.

21. Si ejusmodi Cooperatores dicantur habere Beneficium, Parochi competet jus Patronatus.

22. Molestia ex Sacellanis Parochi obtrusis.

23. Episcopus per statuta sua non potest derogare juri communi.

24. Statutum quæstionis non fuit universale.

25. Limitatur axioma, juxta quod Episcopus potest in sua Diocesi, quod potest Papa in tota Ecclesia.

26. Discrimen inter Parochos urbium & pagorum quoad Sacellanos eligendos.

27. seqq. Examinantur actus, qui videntur contrarii juri Parochi.

FACTI SPECIES.

I.



Nte hac Decanus ad S. P. (qui & Parochus ejus Ecclesiæ est) ab immemoriali tempore habuit liberam potestatem assumendi, quos idoneos judicabat, Cooperatores ad juvandum eundem pro administranda cura animarum, pro qua dein illos misit ad Ordinarium examinandos, & approbandos. Novissimè, cum Cooperatura aliqua vacasset, illam contra morem antehac usitatum, præterito Decano, nec exquisita hujus mente, vel consensu, Reverendissimi Diocesis in Spiritualibus Administratores contulerunt Josepho N. Imploratus à Decano pro manutenendo antiquo jure Serenissimus Princeps Ecclesiæ prædictæ Patronus, & Advocatus, ad eosdem administratores complures dehortatorias dedit. His tamen non attentis, prædicti administratores institere intentioni suæ, & perrexerunt Decano obtrudere hunc novum Cooperatorem. Evitaturi autem offensam Serenissimi Principis, tandem voluerunt tentare modum, quo

res pacificè transigeretur: & propterea instituta est commissio. In hac comparens Decanus ex scripto pro perpetua rei memoria deduxit jus suum. Resolutio in commissione in id data est, posse eidem Decano permitti, ut, quando deinceps vacatura sit cooperatura, Decanus, ejusque Successores proponant duos, ex quibus Ordinarius unum eligat. Verùm Decanus negavit in id consentire se ullatenus posse, instituitque suo juri, quod habere se dixit ad præsentandum unum duntaxat pro cura ad quamvis vacantem cooperaturam. Cum autem hoc negaretur, coactum se existimavit contra hoc juribus suis illatum gravamen provocare ad tribunal superius: quod etiam fecit appellationem intra tempus à jure præscriptum interponendo, & petendo Apostolos. Concessi sunt Apostoli reverentiales cum præscriptione termini ad appellationem introducendam; quia verò hic terminus pro ratione impedimentorum, & aliarum circumstantiarum nimis arctus videbatur, data etiam est hujus prolongatio. Prosecutio tamen appellationis est omissa, quia Serenissimus Princeps, post informationem rei à se gestæ à Decano factam, in se suscepit, quod de hac controversia referre velit ad Sedem Apostolicam, hujusque sententiam expectare. Hac facti specie posita,

QUÆ.

QUÆRITUR

*Utrum Decani intentio super
libera susceptione Coadjutorum suorum sit
in jure fundata?*

Rationes
dubitandi.

2. **C**ontra eundem Decanum pro Admini-
stratoribus militare videntur complu-
ra Argumenta.

1. Contra Decanum pugnat Decretum,
ab Ordinario hujus diœcesis 29. Julii An.
1669. editum, in quo prohibetur, ne
absque Episcopi licentia ullus Parochus
Cooperatorum ullum vel suscipiat, vel
antea susceptum dimittat. Neque in hoc
memoratus Episcopus excessit fines pote-
statis suæ; nam

2. Pro eo servit commune illud Cano-
nistarum axioma, juxta quod id, quod Pa-
pa potest in tota Ecclesia, etiam Episcopus in
sua diœcesi potest. Indubitatum autem est,
quod Papa ex plenissima, quæ ipsi com-
petit circa beneficia, & bona Ecclesiasti-
ca potestate disponendi, possit hujusmo-
di Decreta facere. Poterit proin etiam
Episcopus in sua diœcesi, præsertim, si ta-
le Decretum serviat pro bono animarum,
quale est, de quo dictum est in 1. Argu-
mento; multum enim interest Ecclesiis Pa-
rochialibus, quales habeat curæ pastorali
expositos. Et hinc

3. Decretum hoc illico fuit in executio-
nem deductum, vique illius nulli amplius
Parocho in diœcesi hac fuit permessa libe-
ra suscepcio Cooperatorum, sed omnes,
præsertim rurales obligati fuerunt accepta-
re illos, quos Ordinarius illis pro adjuvan-
da cura animarum misit: ut proinde nec
Decanus ad S. P. ab hoc Decreto censeri
debeat esse exemptus, præsertim, quia

4. Quod Decretum hoc etiam in dicta
ad S. P. Ecclesia in usum deductum sit,
probant complura præjudicia, nominatim
verò Anno 1691. cum enim Decanus pro
vacante cooperatura duos Ordinariatus
proposuisset, neuter illorum acceptatus,
sed alius ad id officii missus fuit. Idip-
sum, alios actus prætereundo, contigit An.
1694. ubi eidem Ecclesiæ ab eodem Ordina-
riatus in Cooperatorem est datus Joannes
Georgius N., & Anno 1697. ubi idem
officium, nulla prævia Decani præsentatione,
commissum fuit Andreæ W.: ut
adeò Ordinarius non agnovit Jus à De-
cano præsumptum. Neque contrarium pro-
bant actus, à Decano pro se allegati; nam

4. 5. Idem actus aut liquidi non sunt,
aut facti fuere tempore illo, quo libera
susceptio Cooperatorum adhuc omnibus
per diœcesin Parochis permessa erat: con-
sequenter nihil probant pro tempore con-
secuto Decretum, per quod potestas illa
Parochis ab Episcopo ex urgentibus cau-
R. P. Schmalgrueber Consilia.

sis sublatum est. Neque iste Parochiam
S. P. exceptam ab hoc Decreto voluisse
censendus est per hoc, quod post illud
jam emanatum sacerdotem aliquem pro
cooperatura vacante commendavit Deca-
no; nam commendatio ista potius respi-
ci debet pro simplici mandato, ut Deca-
nus sibi ab ipso commendatum in Coope-
ratorem recipiat. Aque parum videtur
probari ex sententia definitiva contra Co-
operatorum pro Decano 30. Aug. 1706. la-
tâ, ubi declarantur Cooperatores omnino
dependentes à Parocho, & ex causa ad nu-
tum amovibiles; nam

6. In hac ipsa sententia nulla omnino
fit mentio, quod Decano competat Jus
liberæ susceptionis Cooperatorum pro sua
Ecclesia: neque pro hac argumentum su-
mi potest ex verbis, *ad nutum amovibiles*;
nam utique Ordinarius, hujusque succes-
sor declarare potest sententiam, à se, vel
anteessore latam. Voluit autem Ordina-
rius verba prædicta intelligi non de Paro-
cho, vel Decano, sed de se, & successo-
ribus, ita ut sibi, & istis, non verò illi ex
causa competat libera Cooperatorum desti-
tutio: & quidem meritò, tum quia aliàs
finalis ista sententia non concordaret cum
interlocutoria prius datâ; tum verò, quia
in eadem sententia appositum fuit, quod,
si Decanus Cooperatores, qui litem ipsi in-
tentare sunt ausi, velit dimittere, horum loco
possit alios ab Ordinario petere. Et hinc

7. Etiam post allegatam sententiam,
An. 1706. latam, ut antea, Cooperatores
pro Ecclesia Parochiali ab ordinariatu pri-
vativè sunt dati, ut habent complura præ-
judicia de Annis 1713. 1718. 1719. &
1727. Proinde, cum tot præjudicia ad-
versus liberam susceptionem Cooperato-
rum in Ecclesia S. P. militent, ab exemplo
aliarum quarundam Ecclesiarum, quæ li-
bera susceptione Cooperatorum etiamnum
gaudent, ad Ecclesiam S. P. memoratam
argumentum duci non potest; nam illæ
speciali ex privilegio hac libera facultate
gaudent, quod trahi non potest in conse-
quentiam, cum speciales rationes esse pos-
sint, quæ moveant ad dandum privile-
gium uni loco, quin illæ militent pro aliis
locis. Adde, quod ex communi, & à
DD. approbata sententia etiam, quando
similis, vel efficacior pugnat ratio pro lo-
cis, & personis, in privilegii forma non
expressis, non tamen propterea ad istas
ipsum Privilegium extendi queat, quippe
cum hujus tota efficacia non ex ratione,
sed ex voluntate concedentis, per verba
privilegii concessi significatâ, dependeat.
Proinde

8. Administratores, dum nuperrimè,
uno ex Cooperatoribus ad beneficium Pa-
rochiale promoti, successorem in coope-
ratura dederunt Decano, usi videntur ju-
re suo, quippe quod neutiquam sustule-
(K) runt,

runt allegationes, in contrarium ab ipso factæ, quibus contra hanc dationem excepit, & jus suum deducere voluit. Dein, si alicujus ponderis istæ forent, cum intra tempus legale ad altius tribunal non appellaret, resolutio ordinariatus in rem judicatam transiisse censetur. Imò, si hoc non foret, & adhuc ulteriori deductioni juris, à Decano prætensi, locus foret,

8.

9. Non debuisset idem Decanus in hac, ad iudicium Ecclesiasticum pertinente, causâ provocare ad Serenissimum Principem, sed recurrere ad Administratores, horumque sententiam exspectare, quâ si gravatum se putaret, integrum ipsi fuisset, appellatione interpositâ, ab altiori tribunali Ecclesiastico administrationem iustitiæ petere. Sed contra hæc Argumenta pugnant sequentes rationes.

9.

Rationes
decidendi.

Nam 1. intentio Decani satis clarè fundatur in Jure Tridentini sess. 21. c. 4. de reform. ubi sacra Synodus mandat, ut *Episcopi - in Ecclesiis Parochialibus - in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, NB. sibi tot sacerdotes ad hoc munus adungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum: in quo loco eadem sacra Synodus videtur satis clarè asserere Parochis potestatem in casu, quo ipsi soli non sufficiunt, adjungendi sibi alios sacerdotes, modò isti ad hoc approbati sint ab Ordinario, ad ipsos juvandos in cura animarum; dixit enim cogant sibi adungere, quibus terminis in casu, quo ipsi Ordinarii, extra negligentiam, in hoc à Parochis commissam, possent istis dare Cooperatores, non fuissent usi ejusdem Concilii Patres, sed potius dixissent, *Episcopi Parochis adjungant.* Et quòd hæc ipsa fuerit mens dicti Sacri Concilii,*

10.

2. Patet ex pluribus S. Congregationis Cardinalium ejusdem Concilii interpretum declarationibus, quarum unam refert

Joannes Gallemart. in declarationibus dicti Concilii ad c. 4. cit. correctis à Petro de Marfylla,

ubi in terminis, *Parochus, inquit, potest sibi alium Presbyterum ad curam animarum adiutorem accipere, modò sit ab Ordinario approbatus.* Cui declarationi concordat responsum ejusdem S. Congregationis,

quod 5. Januar. 1589. dedit Episcopo Abulensi, apud Monacell. p. 2. tit. 13. formul. 1. n. 41.

ubi decernitur, ut, si Parochia esset populosa, & unus Rector, vel Parochus non posset sufficere Sacramentis diligenter ministrandis, Episcopus illum cogat sibi alium, vel alios adungere sacerdotes, quot ad hoc munus peragendum judicaret necessarios,

juxta Conc. Trid. dispositionem c. 4. cit.

imò juxta Decretum S. Congreg. Episc. in Cordubensi apud Nicol. in Flosc. V. beneficium Ecclesiasticum. n. 51.

Episcopus pro satisfaciendis Missarum oneribus (idem dicendum de aliis Parochialibus functionibus ex paritate rationis) beneficio annexis, quibus Titularis per se regulariter satisfacere tenetur, tam idonei Capellani, ab ipso tamen Episcopo approbandi, deputationem, quàm elemosynæ solutionem ejusdem Titularis liberæ dispositioni permittere debet, neque ipse in eo sese ingerere: sique Ordinario Coadjutores ejusmodi præsententur, in iis approbandis admodum difficilem se non exhibeat, prout statuit eadem S. Congr. Episc. in Tortonenfi 31. Martii 1604. apud Nicol. in Floscul. V. Coadjutor. n. 5.

ut adeò libera Coadjutorum, seu Cooperatorum susceptio Parochis non solum non sit prohibita, sed potius approbata per dictas, & alias plures decisiones, & declarationes, quæ, maxime si emanaverint à S. Congreg. Card. Concil. Trid. Interpp. si sufficienter de illis constet, vim legis habent, & ostendunt, hunc, quem ipsa declarat, fuisse sensum Patrum Concilii.

3. In hoc ipsum conveniunt DD. ex quibus

Pignatell. tom. 7. consult. 46. n. 1. indubitatum est, inquit, quòd Parochus possit, imò debeat, si casus postulet, assumere sibi Coadjutorem in cura animarum

ex dispositione can. & temporis 48. caus. 16. q. 1. & Concil. Trid. sess. 21. c. 4. de Reform. & S. Congr. ibid. pro quo suo asserto allegat Lotter. de re benef. lib. 3. q. 27. n. 165. Piassec. Prax. tit. de Visi. Paroch. n. 20.

& parificat cum casu absentia Parochi, ubi iste cum approbatione Episcopi debet relinquere Vicarium, qui Ecclesie ipsius deserviat cum congrua portione

c. extirpanda 29. §. qui verò de Prab. Trid. sess. 23. c. 1. de reform. S. Congr. Concil. passim, Fusch. de Visi. lib. 2. c. 4. n. 6. Azor p. 2. lib. 6. c. 5. q. 7.

ut adeò partes Episcopi in eo consistant, ut sibi præsentatum Coadjutorem, seu cooperatorem, si idoneum per examen inveniat, pro cura approbet, & in casu, quo ob numerositatem populi Rector solus curæ animarum non sufficit illum cogat ad adjungendos sibi tot sacerdotes, qui sufficiant Ecclesie, & numerositati populi in Sacramentis ministrandis,

prout decrevit Trid. c. 4. cit. & notat Barbos. de Off. & potest. Paroch. c. 23. n. 12.

4. Favet huic sententiæ etiam statutum Synodi Provincialis Salisburgensis, celebratæ Anno 1549. cui præter alios aliarum dioce-

12.

diocesum, quæ Archiepiscopo Salisburgensi, tanquam Metropolitano, subji-
cuntur, delegatos, etiam ex hac, de qua agi-
tur, diocesi plures interfuere, ut proinde
statuta hujus Concilii pro lege, etiam dice-
cesin nostram obligante, habenda sint.
In hac autem Synodo susceptio Cooperato-
rum Parochis non obscure asserta
est per ea, quæ in ejus statutis fol. 139.
habentur, formalia: Ita observari volumus in
suscipiendis Cooperatoribus, ut nullus proin-
suscipitur, nisi ab Ordinario, vel ejus Generali
Vicario sufficiens fuerit approbatus. Hæc enim
præcautione nequaquam fuisset opus, si
ipse Ordinarius Cooperatores Parochis in-
vitis dare, & ipsi Parochi non possent,
quos vellent, modò sint apti, cum appro-
batione Episcopi sibi assumere: ut adeò
hæc ipsa Synodus in Parochis liberam sus-
ceptionem Cooperatorum agnoverit, hoc-
que suo statuto jus hoc illorum confirmâ-
rit.

13. 5. Huc præcipue servit Decretum visi-
tationis pro ipsa Parochia, de qua modò
quæritur, editum de Anno 1646. die 30.
Junii, ubi formalia: Decanus ad S. P. assu-
mat duos cooperatores, ad curam animarum ap-
tos, & quantum salarii ipsis assignaverit, ad
vitandas novas querelas, ac exacerbationes Re-
verendissimo & Illustrissimo nostro (Episcopo)
significet. Proinde eo tempore, quo De-
cretum hoc editum est, Decano memora-
to competuit libera Cooperatorum suscep-
tio; nam, si non competuisset, non fuisset
ullus Visitator verbo assumat, sed vigore illius
Decreti illico ab ipso Ordinario fuisset De-
cano assignatus Cooperator alter: quod
cum factum non sit, eadem libera susceptio
per idem visitationis Decretum censeri debet
fuisse agnita, & Decano confirmata. Si
autem tunc ista eidem Decano competiit,
etiam nunc competere illa censetur, nisi
proberetur fuisse adempta; nam juxta regu-
lam præsumptionum communiter recep-
tam, qualis res est, si talis manere possit, præ-
sumitur adhuc talis esse, & talis mansura, nisi
proberetur mutatio. Talis autem mutatio
in casu præsentis nondum probata est; si
enim facta illa esset, facta fuisset per sta-
tutum num. 2. relatam, in quo prohibetur,
ne absque Episcopi licentia ullus Parochus
cooperatorem ullum vel suscipiat, vel ante
susceptum dimittat; per hoc autem contra
Decanum nihil probatur; nam

14. 6. Statutum hoc, prohibens susceptio-
nem Cooperatorum sine licentia Episcopi,
non est universale, quippe cum Ecclesiæ
variæ etiamnum, non obstante eodem De-
creto, gaudeant jure liberæ susceptionis
Coadjutorum, seu cooperatorum suorum,
in cujus juris possessione, & exercitio con-
tinuo, & nunquam interrupto à tempore
immemoriali existunt, neque de hoc jure
ipsis unquam controversia mota est. Cum
ergo Decanus ad S. P. etiam ipse post
R. P. Schmalzgruber Consilia.

memoratum Decretum manserit in simili
possessione, & exercitio, & circa hoc us-
que ad ultima hæc tempora controversia
nunquā sit mota eidem, nec ipsi, utpote, qui
singulari Decani nati prærogativā gaudet,
potestas ista negari potest, præsertim, quia

15. 7. Quòd etiam Decano ad S. P. com-
petat jus liberæ susceptionis Cooperatorum
suorum, antehac semper fuit existimatio com-
muni, quā probat supplicatio per literas 20.
April. 1649. ad Celsum Episcopū datas fa-
cta, in qua, cum eodem anno, & ejusdem
mensis die 18. Decanus, qui unicum tan-
tum Cooperatorem habuit, quòd alterius
vices ipsemet gereret, obiisset, supplica-
tum fuit dicto Celssissimo, ut illi uni coo-
peratori adjungeretur alter, usque dum
novus crearetur Decanus, qui deinde il-
lum retinere, vel alium libere posset assu-
mere. Propositus à supplicante fuit Do-
minus Michael G. qui etiam à Celssissimo
concessus, & postea à novo Decano libe-
rè retentus fuit: ut adeò jam tum suppli-
cans habuerit pro re notoria, quòd libera
Cooperatorum, dein ab Ordinario appro-
bandorum, susceptio Decano competat.
Et quidem

16. 8. Idem jus facti videntur ipsimet Or-
dinarii; nam, cum Joannes S. in casum, quo
memoratus Michael G. ob senium, quippe
qui 44. omnino annis Cooperatorem ad S.
P. egit, cooperaturæ renuntiaret, à Reve-
rendissimo Episcopo petiisset commendari
Decano pro Cooperatoris officio, iste ei-
dem Decano per literas 6. Nov. 1673. da-
tas ipsi significavit, intentionem suam esse,
ut idem Joannes S. in cooperatura resig-
nanda succedat, & propterea se credere,
quòd Decanus, quippe quem sciat aliàs
studiosè obsecundare Reverendissimi in-
tentionibus, non gravaturus sit illum reci-
pere, sicque expectare ejusdem declara-
tionem, quam etiam Decanus Reverendissi-
mo dedit, & factā demum resignatione, 25.
April. 1675. in actualem Cooperatorem re-
cepit. Clarius adhuc jus liberæ Coopera-
torum susceptionis agnitum fuisse ab ipso
Ordinariatu, patet ex literis, ad Decanum
S. P. à Reverendissimo Vicario Generali
25. Jan. 1685. datis, in quibus iste eidem
Decano commendavit pro cooperatura va-
cante Georgium B. cum addito, cum igitur
mibi satis qualificatus videatur, hinc eun-
dem dominationi vestra Reverendissima in eum
finem sistere volui, ut, si ipsi quoque, utpote cu-
jus res maximè agitur, placuerit, eundem mihi
pro cura remittat. Quod si autem præter
spem, minus habens videretur, non desunt alii
non minus digni hac promotione, ex quibus
NB. quem maluerit, mihi sistere poterit. Ac-
cedit, quia

17. 9. In hujus juris exercitio Decani ad
S. P. ut num. 14. dictum est, usque ad hæc
ultima tempora fuere semper; sic enim 1.
Anno 1653. Decanus in Cooperatorem as-
sumptus

sumpsit Conradum K. & ab Ordinario pro ipso approbationem, & curam animarum petiit, atque obtinuit. 2. Anno 1663. idem Decanus præsentavit pro cura Laurentium P. Vicario Generali, qui etiam isti approbationem pro eadem cura impertit. 3. Anno 1674. 14. Martii memoratus Decanus Joannem S. prius sibi, ut *num. præc.* dictum est, à Reverendissimo Episcopo commendatum, petitis antea ab ipso re- versalibus, in quibus Decano exactam obedientiam, debitam submissionem, & reverentiam promisit, pro approbatione ad curam animarum Reverendissimo Vi- cario Generali præsentavit, &, factâ ab antecessore illius cooperaturæ resignatio- ne, 25. April. 1675. in actualem coope- ratorem recepit. Similiter 4. Anno 1680. 9. Decemb. idem Decanus ad commendationem Serenissimi Principis pro Coopera- tore assumpsit, & pro cura, quam etiam obtinuit, ad Ordinarium misit Joannem Baptistam M. qui antea erat supernumera- rius. 5. Anno 1685. 26. Januar. ex pluri- bus sibi *juxta num. præc.* à Vicario Generali commendatis, Georgium B. utpote quem præ aliis digniorem habuit, eidem Vicario Generali pro examine, & approbatione ad curam stitit in locum Joannis S. tum defun- cti. 6. Anno 1694. scriptis ad Decanum Joannem Martinum de C. literis Georgius N. pro cooperatura tum vacante supplica- vit, & ab illo ad commendationem suæ personæ, aliunde factam, eandem obti- nuit. 7. Anno 1695. cum cooperaturam suam Conradus K. utpote ob ætatem pro- vectam laboribus non amplius par, petito prius consensu Decani, cogitaret resigna- re cognato suo Andrea W. per literas ex commissione regnantis tum Capituli Ca- thedralis 1. Dec. eodem anno datas à memorato Decano petita est informatio de hujus aptitudine, qui 5. Decembr. dicti anni respondit, illum omnino judicari ap- tum, & hinc paratum se consentire in hanc resignationem, illumque in Cooperatorem acceptare. 8. Anno 1697. postquam præ- dictus Georgius N. obtinisset Parochiam in alia Diocesi, & actu collatæ eidem ab Ordinariatu nostro dimissoriæ, atque in- stitutio facta ab Ordinario altero, idem Decanus ad vacantem hoc modo coope- raturam pro cura præsentavit Georgium P. quæ præsentatio etiam acceptata est ab Or- dinario præmissis examine: cumque me- moratus Georgius N. ex prætextu redi- tum dictæ Parochiæ nimis tenuium, vel- lut abdicato jure ad istam retinere reli- ctam à se cooperaturam, à Celsissimo Epi- scopo nuper defuncto emanatum 4. Mart. dicti anni fuit Decretum in favorem Ge- orgii P. & antecessor illius Georgius N. justus est illi cedere cooperaturam, cum ædibus huic destinatis, ad instantiam ip- sius Decani, testibus literis 11. Febr. An-

no 1697. prædicto ad Celsissimum memo- ratum datis, in quibus notatu dignum est, quod Decanus ad justificandam suam præ- sentationem allegaverit rationem, nem- pe quod susceptio Cooperatorum penes Decanum ad S. P. antehac semper steterit, Porro

10. Actus contrarii, per quos provisio de cooperatura pro tempore vacante facta est ab ipso Ordinario, non potuerunt au- ferre Decano jus, faventibus SS. Canonibus, ipsoque statuto Concilii Provincia- lis Salisburgensis, & exercitio continuo confirmatum; nam 1. cum mortuo Georgio B. neglecta præsentatione, quâ Decanus Ordinariatu pro cooperatura va- cante præsentavit duos, atque ex his unum pro cura petiit approbari, horum loco 24. Dec. 1691. eidem à Reverendissimo Epi- scopo, Cooperator datus est Matthias S. hunc quidem in reverentiam Decanus ac- ceptavit, sed testibus literis 5. Januar. 1692. datis cum protestatione solenni, quâ sibi, & successoribus suis præservavit jus, ut ibi- dem ait, notorium liberæ susceptionis Co- operatorum, Ecclesiæ, & civitati pro cu- ra animarum gerenda, ad quam eos hæte- nus, à se præsentatos, mittere solebat, aptorum; protestatio autem interposita præservat jus protestanti, facitque, ut actus contrarius ei non noceat. 2. cum idem Matthias S. dein Anno 1694. cooperatu- ram permutavit cum Georgio N. Parocho in Ob. opus non habuit ulteriori examine, & approbatione pro cura, consequenter neque præsentatione ad istam, sed tan- tum (prout in hujusmodi permutationibus fieri à Patronis solet) consensu Decani, quem iste quidem initio dare renuit, de- mum verò ad recommendationem cujus- dam Cancellarii hunc impertit, & sic eum in Cooperatorem assumpsit. 3. æquè pa- rum nocent duo ultimi actus, ubi Geo- rgius P. & Zacharias P. ab Ordinariatu Cooperatores eidem dati sunt, nam eo tem- pore Decanus ob ætatem proVectam, & continuas infirmitates pro inhabili decla- ratus habuit. Proinde eo casu Ordina-

vi Concil. Trid. sess. 21. c. 6. de re- form.

potuit hujus defectum supplere, & jure suo Cooperatores pro tempore eidem deputare, per quos curam animarum rite administra- tum iri certò posset confidere.

11. Idem jus liberæ susceptionis coope- ratorum præsum à Decano, confirmat satis luculenter sententia, contra Coopera- tores pro eodem Decano ab Ordinariatu la- ta; cum enim inter hunc, & illos Anno 1705. circa reditus stolæ orta fuisset con- troversia, & isti prætenderent, se inde- pendentibus omnino à suo Decano esse, An. 1706. contra hos prodiit sententia defini- tiva, quâ declaratum est, Cooperatores om- nino

18.

19.

nino à Decano, seu Parocho dependentes, & ex causa ad nutum amovibiles esse, cum additis verbis, *Prout imposterum observari volumus.* Quodsi autem potestas amovendi, seu destituendi ad nutum ex causa Cooperatores suos Parocho, seu Decano ad S.P. competit, etiam competet ei potestas libera eos assumendi, modò ab Ordinario approbati pro cura sint; nam hæc duo correlativa sunt. Imò plus est destituere, quàm assumere; nam destitutio non omnibus competit, quibus assumptio libera. Et hinc resignatio beneficii, cum ejus admissio rationem destitutionis habeat, facienda est in manibus illius superioris, ad quem pertinet non tantum jus, seu potestas conferendi beneficia, vel instituendi beneficiatos, sed etiam eosdem destituendi, seu deponendi.

Gloss. in Clem. un. V. manibus de renunt.

Abb. in c. 8. eod. n. 6. Azor p. 2. l.

7. c. 19. q. 7. Pirhing. dict. tit. n. 68.

Ut adeò vi dictæ sententiæ non tantum destitutio, sed etiam assumptio libera Cooperatorum Decano competat. Proin tum temporis Decanus utroque hoc jure, sententiam latam exequendo est usus, & ambos Cooperatores, qui litem hanc ipsi intenderant, eodem anno 1706. à cooperatura dimisit, & unum quidem ex illis ad commendationem cujusdam retinuit, alteri verò substituit alium Vitum K. eumque pro approbatione ad curam misit, quam approbationem etiam obtinuit ab Ordinariatu, à quo etiam dimissus cooperator, cum id recusaret, iussus est domum, cooperatoribus assignatam, sine mora deferere, & cedere successori. Ab hoc tempore dein introductum est, ut assumpti Capellani, seu Cooperatores, antequam pro examine, & cura à Decano, qui illos assumpsit, mitterentur ad Ordinarium, darent reversales, & in his faterentur, se ab hac manuali Capellania ad omnem nutum esse amovibiles, & promitterent, se Decano exhibituros fidelem operam, contentosque fore mercede, & salario, quod ipsis à Decano hoc nomine assignatum fuerit, neque aliud quidquam juris, separationis, aut independentiæ prætenfuros. Hæcque reversales actu ipso post assumptionem suam dedit loco dimissi susceptus Vitus K. antè dictus.

20.

12. Libera assumptio cooperatorum etiam ex eo ostenditur, quia cooperatura hujusmodi non habet rationem beneficii specialis; est enim Capellania quædam, quæ si dotem non habeat, & rectorem perpetuum, beneficium dici non potest,

ex sententia Rotæ in Florentina Capellania coram Rondinino. decis. 182. n. 12. p. 18. tom. 1. recent.

Et hinc hujusmodi Capellani, etiam Curati, si ad nutum sint amovibiles, nec jus,

nec titulum, nec possessionem acquirunt, ut iterum Rota in Toletana Decimarum de Capilla coram Bourlemont decis. 466. n. 19. p. 19. tom. 2. recent.

Proinde etiam juvari non possunt possessione prædecessorum, neque ex ea prætere manutentionem in possessione stipendii, prout neque potest considerari aliqua possessio respectu ipsarum Capellaniarum; quia sunt manuales, non verò tituli beneficiales,

ut fuit dictum à Rota in Salmantina stipendiorum 6. Januar. 1606. & antea 6. Jun. 1603. in eadem coram Lancelloto apud Corrad. prax. Benef. lib. 1. c. 2. n. 51.

quippe qui ex sententia Rotæ in Toletana cit. sunt simplices Ministri, & Servitores, qui operam suam Parocho locant pro mercede conventa, subque hujus, seu capitis suæ Ecclesiæ, seu Parochiæ, gubernatione, & directione in suis, ab ipso conceditis, functionibus consistunt. Proinde, sicut quisvis paterfamilias liberè constituere, & destituere operarios ex potestate economica potest, ita & Parochus cooperatores, modò ab Ordinario ad curam approbati sint, in subsidium laboris assumere, & cum assumptioni correlativa sit destitutio, etiam ad nutum dimittere, & alios substituere; non enim minùs, quàm quisvis alius paterfamilias, ipse est verus conductor, Capellanus verò, seu cooperator rationem habebit operarii, locantis eidem operas suas: consequenter, sicut contractus locationis, conductionis, ut alii omnes, dum initur, est liberæ voluntatis, ita, ut ad contrahendum cum certa persona nemo compelli possit, ita nec Parochus de jure compelli poterit ad certam personam assumendam in cooperatorem, ut adeò Ordinarii partes in hoc tantum consistant, ut præsentatum sibi à Parocho examinet, & si pro cura animarum sufficientem inveniat, eundem confirmet.

13. Esto, quòd cooperaturæ Parochiales aliquo modo speciem beneficii habeant (quod tamen est contra communem) tamen hoc beneficium foret duntaxat manuale, & quidem creatum ex redditibus Parochiæ, ex quibus merces Cooperatoris solvitur. Ex qualitate Manualitatis Parocho competit libera, & ad nutum suum cooperatorum destitutio; id enim est de natura beneficii manualis, ut notanter observat

Riccus prax. Aur. vol. 1. decis. 347.

Vallens. ad lib. 3. tit. 5. §. 2. n. 16.

Pax Jordan. Vol. 2. lib. 10. tit. 11. n. 275.

Ratione mercedis autem eidem Cooperatori ex redditibus Parochialibus solvendæ, eidem Parocho acquiritur saltem jus patronatûs ad subjectum aptum pro cura præsentandum Ordinariis; nam hoc generale

(K 3)

est,

21.

est, ut, qui fundat, vel dotat certum aliquod beneficium, etiam jus præsentandi ad istud per hoc acquirat: idque procedit etiam respectu Ecclesiæ Parochialis novæ, ex causa erectæ intra fines alterius Parochialis, & ex rebus hujus dotatæ,

per textum *c. ad audientiam 3. de Eccl. adif. ibi, in ea sacerdotem ad præsentationem Rectoris majoris Ecclesiæ instituas.*

Denique

22.

14. Si Decano adimatur libera cooperatorum susceptio, multarum, & gravium molestiarum hoc causam, occasionemque præbebit; nam 1. sic promoti ab Ordinario, & obtrusi Decano, huic non amplius exhibebunt reverentiam, & obedientiam debitam, jussusque istius aut parum, aut omnino non audient. 2. multas controversias, litesque eidem movebunt: & sic 3. apud populum, totamque civitatem orientur scandala, prout à Prædecessore Decano in actione contra cooperatores suos habitata, clarèque ostensum est. 4. Parochi vel maxime interest, ut in literis *num. 16.* allegatis fateatur, ipsemet Reverendissimus Vicarius Generalis, bene nōsse eos, quibus curam ovium sibi conceditarum permittat, ne mercenarius intret, qui nullam istarum habeat curam, cujus eò majus in hac Parochia versatur periculum, quò copiosior Parochianorum est numerus, quippe qui ad 1500. ascendit. Certè etiam, qui alias apti sunt ad curam animarum exercendam, non tamen cuilibet loco apti sunt. Atque ex hætenus dictis responderi facillè potest ad argumenta contraria.

23.

Respondetur ad rationes oppositas.

Ad 1. Multa sunt, quæ valorem hujus statuti facere dubium possunt. Nam 1. illud videtur esse contra Jus Tridentini juxta deducta *num. 9.* quod jus cum faciat jus commune Pontificium, intrare facit communem, & à DD. approbatam doctrinam, quæ

cum Abb. in *c. fin. de Consuet. n. 9.* & Felin. in *c. quod super 9. de Major. & Obed. n. 2.*

negat, quòd per statuta, facta à Prælati Papæ inferioribus derogari Juri Pontificio possit: pro qua sententiâ habentur clari textus

can. institutionis 7. can. amputato 11. & can. seq. caus. 25. q. 2. maxime verò c. quod super cit. ibi, dummodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonicis obviet institutis:

ubi clarè potestas statuendi aliquid contra legem communem Canonicam Prælati inferioribus tollitur. 2. idem statutum pugnat cum declarationibus, & Decretis S. Congr. Concil. & Episc. allegatis *num. 10.* quæ declarationes, & decreta, ob auctoritatem ad hoc à Sixto V. & Gregorio XIV. Cardinalium Congregationi concessam,

ut Fagnan. in *c. fin. n. 8. & seqq. de Constit. contendit,*

vim legis universalis habent; ut adeò rursum intret supra allegata doctrina; nam talia decreta, & declarationes hoc modo constituunt jus Pontificium, 3. contrarium, ut *num. 12.* vidimus, constitutum est in Synodo Provinciali Salisburgensi, cujus statuto iterum videtur ab Episcopo derogari non potuisse; nam, quæ statuuntur in Concilio Provinciali, approbantur per vota decisiva omnium Episcoporum eidem intervenientium: consequenter sunt lex ipsius Concilii, quod superius est quovis Episcopo in particulari considerato, quippe de cujus causis, etiam criminalibus, saltem minoribus, in eo cognosci & judicari potest,

ex Decreto Trid. *sess. 24. c. 5. de re form.*

ut adeò dubius saltem sit valor hujus statuti ob defectum potestatis, quæ est legum humanarum causa efficiens, & in Episcopis intra certos terminos restricta est.

Deinde, esto, quòd hujus statuti valor in dubium trahi non possit, tamen 1. illud non fuit universale, quippe cum juxta *num. 14.* etiam post illud editum Ecclesiis Collegiatis & Parochialibus quibusdam relicta sit libera cooperatorum susceptio. 2. eandem etiam Decano ad S. P. competere arguitur ex commendatitiis ab ipso statuti hujus auctore Episcopo pro cooperatura ad eundem Decanum datis, & *num. 16.* relatis: item, & clariùs ex aliis literis Vicarii Generalis, eodem *num.* allegatis. 3. ex continuo exercitio hujus juris etiam post emanatum statutum istud. 4. ex sententia, quæ Cooperatores ad S. P. declarati sunt à Decano suo esse omnino dependentes, & ad nutum amovibiles. 5. ex doctrina generali, relatâ *num. 21.* juxta quam etiam ad beneficia, quæ ex redditibus aliqujus Ecclesiæ erecta sunt, hujus rectori saltem jus præsentandi competit.

Ad 2. Axioma istud verum duntaxat est in his, quæ ad commune regimen spectant, & antequam à Pontifice, vel alio superiore lex aliqua statuatur; nam hac constitutâ, ex vi illius limitata est jurisdictio inferioris, ut non possit circa illam se intromittere: & hinc neque Archiepiscopus abrogare potest legem latam in Concilio Provinciali, vel in illa dispensare; quia non est lata à solo Archiepiscopo, sed à Concilio superiore illius. Procedit hoc præcipuè, cum statutum, hujusmodi legibus derogans, cedit in præjudicium, aut diminutionem juris aliorum; nam hoc neque superior, qui legem tulit auferre tertio per statutum contrarium potest, nisi ex causa urgente, & publicâ, qualis tamen causa in præsentī casu non adest, quippe cum assumpti hætenus cooperatores pro cura,

24.

25.

cura, & approbatione semper missi sint ad Ordinarium, qui de aptitudine illorum judicare poterat: ut adeo omnes rationes, quæ movere valebant ad statutum contrarium memoratum condendum, omnino cadant.

26.

Ad 3. Jam dictum est *num. 24.* quod hac statutum non sit universaliter in executionem deductum. Inter Parochos rurales, & eos, qui præsentant urbibus capitalibus, lata disparitas est; nam hi posteriores, cum ferè sint graduati, & insuper Consilarii Ecclesiastici, selegerunt sibi hætenus, & imposterum seligere scient Cooperatores tales, de quorum aptitudine ipsis abunde constat, ut adeo periculum nullum sit, ne minus aptos assumant, quale periculum frequenter esse posset in Parochis ruralibus. Adhæc aliter tractari debent homines docti, & civiliter educati, quibus civitates hujusmodi abundant, quàm rustici, ad quos tractandos non adeo tanta requiritur dexteritas. Et certum est, quod in ruralibus personis sacerdos pius, & competenter doctus, licet non adeo excultus sit moribus, si pietati, & doctrinæ suæ zelum honoris DEI adjungat, multum præstare boni valeat, qui, si civitatenfes eodem modo, quo rusticos tractare vellet offensam illorum incurreret. In Parochiali Ecclesia ad S. P. adminiculante hodierno Decano, devotio populi plurimum modò crevit, adeo, ut SS. Tribunalia festis magis solennibus frequententur magno numero, & in his sacerdotes sex curati ab horâ 5. matutinâ usque ad serum meridiem occupentur constanter, ad mensam verò Eucharisticam sæpe una die accedant ad 7. vel 8000. quæ devotio, & frequentia, si Cooperatores constituantur tractandis hominibus non ita idonei, diminuetur quamplurimum. Certum autem est, Ordinarios in tam amplis diocesis, quales Germania habet, non posse acquirere notitiam de genio omnium sacerdotum diocesis suæ: ut adeo specialis sit ratio, ob quam Parochis urbium, maxime præcipuarum permitti debeat præsentatio Cooperatorum, quippe de quorum vita, & moribus, modoque tractandi homines exactiorem ipsi habere possunt notitiam.

27.

Ad 4. Contra actum illum, qui An. 1691. contigit, Decanus, tum existens, solennissime protestatus est, sibi, & successoribus suis jus liberæ susceptionis Cooperatorum reservavit, ut dictum est *num. 18.* In permutatione factâ A. 1694. requisitus fuit consensus Decani, ut dictum est *num. cit.* Georgius N. ipsemet pro cooperatura tum vacante supplicavit Decano, quam etiam ad commendationem istius Ordinarii factam obtinuit, ut dictum est *num. 17.* Idem factum est in persona Andree W. nam hunc ipsummet Capitulum Cathedrale tum regnans cum suo memo-

riali, & testimoniis ad Decanum remisit, qui dein illum misit ad Vicarium Generalem pro approbatione, & hac impetratâ, in Cooperatorem assumpsit.

28.

Ad 5. Quod Decanus etiam post Decretum, Episcopi exercuerit jus liberæ susceptionis Cooperatorum, patet ex dictis *num. 17.* atque de his liquet ex authenticis documentis. Quod verò commendatio, ab eodem Episcopo in favorem Joannis S. facta, non habuerit rationem simplicis mandati de illo recipiendo, patet ex ipsis literarum commendatitiarum verbis, ubi petitur Decani declaratio, adeoque consensus, quem etiam dedit sub verbo *Præfeto*, & eundem sub his formalibus pro cura animarum, & approbatione ad istam misit: cum ergo huic modo præsentandi idem Episcopus non contradixerit, signum est, quod ipse, qui aliis Parochis susceptionem Cooperatorum liberam ademit, eandem pro Ecclesia S. P. hac ipsa sua commendatione salvam adhuc esse agnoverit.

29.

Ad 6. Dici non potest, quod hæc verba, *ad nutum amovibiles*, intelligenda sint de Ordinario; nam de hujus potestate in toto processu nulla unquam fuit facta mentio: ut adeo, si de Ordinariatu intelligenda forent, huic sententiæ fuisset adjecta clausula prorsus aliena à libello exceptionis; agebatur enim tunc de independentia à Decano, quam Cooperatores prætendebant, quam cum non probassent, per sententiam definitivam declaratum fuit, eos à Decano omnimodam dependentiam, à qua, ut destitutio, ita susceptio penderet, habere; & sic etiam executioni data est ista sententia per remotionem unius Cooperatoris, & præsentationem alterius, quæ etiam ab Ordinariatu admissa est post traditas prius literas reversales, quibus visis, Reverendissimus Vicarius Generalis curam, & approbationem præsentato dedit: ut adeo, cum clara fuerit ista sententia, & conjunctionis *Et eâ sit naturâ*, ut posterius cum priore copulet, nullâ opus leuteratione, seu declaratione illius fuerit. Inter sententiam hanc definitivam, & interlocutoriam prius latam nulla inveniri potest discordia; nam in posteriore injuncta Cooperatoribus est probatio independentiæ, & dismembrationis à se prætensæ, quam cum non probassent, contra ipsos in negativam, consequenter pro manualitate definitivè pronuntiatum est.

30.

Ad 7. Dum Anno 1713. Jacobus P. & 1719. Zacharias P. Cooperatores dati ab Ordinario sunt Decano, id factum est ultimis vitæ illius annis, quo tempore, ut *num. 18.* notatum est, ob decrepitam ætatem (nam anno ætatis 84. decessit, & ab Anno 1700. quo Decanatum obtinuit, hunc per 24. annos administravit) fractasque vires officio suo superesse non potuit. An protestatus in contrarium fuerit, ex Actis

Actis non constat. Quidquid autem sit, conniventia ipsius successoribus præjudicare non potuit: consequenter per hoc libera istis Cooperatorum susceptio non fuit adempta, vel locus contrariæ præscriptioni apertus. Datus hodierno Decano A. 1727. Cooperator ab illo non fuit acceptatus, sed ad præservandum jus liberæ susceptionis ab ipso remissus. Nec dici potest, quod libera Cooperatorum suorum susceptio Ecclesiis aliis concessa sit merè gratuito; nam ex legitimis documentis constat, quod eadem Ecclesiæ, cum ipsi hæc libera susceptio traheretur in controversiam, non in gratuita aliqua concessione, vel privilegio, ab Ordinariatu dato, sed in jure,

per Conc. Trid. sess. 21. c. 4. de re-form.

& per statutum Synodi Salisburgensis confirmato, ipsaque continua observantia se fundaverint. Cum ergo etiam Decanus ad S. P. ad idem jus, & observantiam provocet, par etiam ipsius causa esse debet, præsertim cum eodem jure, etiam Parochi in diocesis vicinis, utantur.

31.

Ad 8. Quod allegationes Decani per argumenta ista nondum fuerint sublata, patet ex his responsionibus. Coadjutor, seu Cooperator Anno 1727. ipsi ab administratoribus non est datus per sententiam; consequenter rei judicata locus non est: quod ipsum factus videtur unus ex illis in literis eodem An. 17. Decembr. ad Serenissimum Principem datis, ubi exponit, paratos se esse ad cuiusvis administrandam justitiam, adeoque decuisse, ut Decanus causam apud ipsorum tribunal deduceret, & sententiam expectaret, quâ si læsum se

crederet, integrum ipsi fuisset ad altius tribunal Ecclesiasticum appellare, quam viam etiamnum apertam ipsi esse fatentur. Accedit, quia idem Decanus contra datum sibi eò annò Cooperatorem illico protestatus est, & alium, missa simul deductione juris sui, administratoribus præsentavit, cumque post 14. dies ab his nullum fuisset datum responsum, resolutionem, misso novo monitorio, sollicitavit, post quod tandem id responsum ab iisdem administratoribus nactus est, se ad Serenissimum Principem, quod oporteret, quamprimum scripturos.

32.

Ad 9. Decanus nunquam intendit causam hanc à Judicio Ecclesiastico ad forum sæculare trahere, sed imploravit duntaxat Serenissimum Principem, tanquam Patronum, & Protectorem Ecclesiæ suæ, pro assistentia, & manutenentia antiqui sui juris, & quidem coactus, quippe cum administratura, non obstante deductione juris ab ipso factâ, urgere perrexerit acceptationem Cooperatoris eidem dati: quæ imploratio neutiquam repugnat SS. Canonibus, quippe cum notorium sit, quod in causis, etiam in Curia Romana pendentibus, quæcunque Ecclesiæ supremos Advocatos, & defensores suos contra gravamina sibi illata pro assistentia soleant implorare.

Dicendum proinde, eidem Decano competere jus liberæ susceptionis Cooperatorum suorum; hoc enim evincitur ex Trid. declarationibus, & decretis S. Congr. statuto Synodali, Confessione propriâ istius Ordinarii, continuâ observantiâ, & aliis argumentis, à num. 9. allatis.

33.

CONSILIUM V.

In Causa Testamenti militariter conditi.

SUMMARIUM.

1. 2. Facti species.

3. In testamento militari non observantur solennitates juris.

4. Milites in expeditione esse intelliguntur, dum sunt in castris:

5. Imò etiam dum sunt in praesidiis &c.

6. Jus tamen antiquum modo restrictum est.

7. Miles renunciare potest Privilegio suo. In dubio tamen tenenda est opinio, qua favet testamento.

8. Testamentum militis confertur militare, etiamsi adhibita sint solennitates juris.

9. Salutaris est clausula de retinendo Privilegio testamenti militaris.

10. Forma testamenti militaris scripti &

nuncupativi.

11. In testamento militari requiritur hæredit institutio:

12. Voluntas seria testantis:

13. De qua voluntate debet sufficienter constare.

14. In testamento nuncupativo militis requiruntur saltem duo testes:

15. Qui tamen non debent esse rogati.

16. Et possunt esse qualescunque, etiam femina.

17. seqq. Circa testamentum militare scriptum observatur jus antiquum quoad milites in conflictu:

21. Si tamen de scriptura non constet, requiruntur duo testes.

22. 23. Ex-